

## SECTIO II.

### DE SCRIPTURAE ANTIQUITATIBUS SACRIS

In hac sectione claram et obviam sequemur divisionem agentes  
1° De locis sacris, 2° De temporibus sacris, 3° De personis sacris,  
4° De rebus sacris. De singulis breviter.

#### CAPUT I.

##### DE LOCIS SACRIS

Sub lege naturae nullus videtur fuisse locus publico Dei cultui destinatus. Nihil tamen minus Patriarchae altaria hic illic erigebant ubi sacrificia Deo offerrent: ita Iacob post celebrem visionem lapidem in quo dormierat oleo inungens consecravit et *Bethel* vocavit (seu *Domum Dei*); ante illum Abel, Noe, Abraham, Isaac similes aras Deo sacraverant.

Cum lege scripta coepit etiam cultus publico in loco designato, et ad hunc finem aedificato exerceri. Ex his aedificiis duo varis temporibus extiterunt, nempe *Tabernaculum Foederis* a Moyse usque ad Salomonem, et *Templum* a Salomone usque ad Christum. De quibus seorsim dicendum; et in fine aliquid addemus de *synagogis* in variis locis apud Iudaeos erectis ad communem orationem, et Scripturarum lectionem.

#### ARTICULUS I.

##### DE TABERNAculo FOEDERIS (1)

Postquam populus Hebraeorum ex Aegypto egressus est in desertum Sinai Deus praecepit Moyse *Tabernaculum* extruere (משכן אהל) quasi templum portatile, in quo sacrificia offerrentur ceteri-

(1) Descriptio Tabernaculi satis proluxa et minuta occurrit Ex. XXV-XXX, ubi Deus Moyse praecepit illius constructionem, cuius etiam formam seu exemplar ad faciliorem et clariorem intelligentiam in monte ei ostendit

que ritus religiosi peragerentur, cuius formam seu exemplar ipse Deus Moyse praecepit. In hoc Tabernaculo divinus cultus celebratus est non solum toto tempore peregrinationis per desertum, sed etiam post occupationem terrae Canaan usque ad annum XI Salomonis, cum templum ab eo exstructum dedicatum est 487 annis post exodum.

I. Erat autem Tabernaculum formae quadrangularis, longitudinem habens cubitorum 30 ab Occidente in Orientem, latitudinis vero 10 ab Aquilone ad Austrum, totumque ex ligno, pellibus, et velis constabat. Ex ligno quidem *setim* (seu acaciae, ut videtur) tabulae sectae erant, quae aeneis basibus infixae veluti parietes tabernaculi efformabant. Ex tabulis extabant circuli, seu annuli aenei, per quos immissi vectes per totum latus Tabernaculi tabulis suo loco continendis, nec non asportandis inseriebant. Tegebatur autem Tabernaculum quatuor diversis operimentis, quorum primum seu intimum erat ex *byssu retorta*, coloribus hyacinthino, purpureo et coecineo variegata (Ex. XXVI, 1), alterum priori superpositum ex pilis caprarum contextum, quod *sagum cilicinum* Vulgata appellat (ibidem 7), tertium ex *pellibus arietum* rubro colore illitis, quartum denique extimum, et ceteris superpositum ex *pellibus ianthinis*, seu violacei coloris (ib. 14).

II. *Divisio Tabernaculi*. Ipsum Tabernaculum interius in duas partes dividebatur quarum prima, seu anterior vocabatur *Sanctum* seu sanctuarium, vel Tabernaculum primum (Hebr. IX, 2), in quo collocabantur altare thymiamatis, candelabrum aureum, et inter utrumque mensa panum propositionis. Altera pars intior dicebatur *Sanctum Sanctorum*, seu locus sanctissimus, ubi Arca foederis servabatur. *Sanctum* viginti cubitos longitudinis habebat, et decem latitudinis, *Sanctum Sanctorum* autem decem cubitos longitudinis

(Ex. XXV, 40), iterum vero Ex. XXXVI-XXXVIII, ubi operis exequentio particulatim refertur. Omnes fere Tabernaculi partes assidue elaboratae fuerunt a Beseleleel, et Ooliab artificibus sapientissimis ab ipso Domino electis (Ex. XXXV, 30-38). Brevem Tabernaculi descriptionem praebet etiam Paulus Apostolus Hebr. IX, ubi de mysticis eius significationibus tractat. Denique Iosephus Flavius illud describit in lib. III. Antiquit. c. 6. Quare eius formam, ac partes singulas satis clare percipere possumus. Vide Bern. Lamy: *De Tabernaculo Foederis Libri III.*

totidem latitudinis. Nullae erant Tabernaculi portae, seu fores, sed ingressus ad Orientem patebat per vacuum spatium inter tabulas velamento contextum: velamentum primum aditum praebat in Sanctum, velamentum secundum in Sanctum Sanctorum. Erant autem haec velamenta ex bysso purissima confecta, et mira arte elaborata, et pendeant ex trabe aurea quatuor columnis auratis sustentata (Ex. XXVI, 31-33). In primam Tabernaculi partem sacerdotibus tantum ingredi fas erat cum officiis suis fungi debeant, in alteram vero partem non nisi summus Pontifex ingredi poterat semel in anno in die magna expiationis (Ex. XXX, 10, Lev. XVI, 2, Hebr. IX, 6-8). Extra Tabernaculum proprie dictum per gyrum erat atrium centum cubitis longum et quinquaginta latum velaminibus pro parietibus circumdatum, et inclusum, quae quidem columnis aeneis per circulos et uncinos argenteos affixa erant. Pars anterior primo velamento proxima omnibus israelitis patebat per ostium viginti cubitos latum, reliquae vero partes atrii solis sacerdotibus patebant, et atrium sacerdotum dicebatur.

III. Res in Tabernaculo inclusae erant sequentes, 1<sup>o</sup> *Arca foederis*, seu *testimonii*, quae in Sancto Sanctorum sola custodiebatur. Erat autem capsula quaedam ex lignis setim aureis laminis intus et foris obducta habens longitudinis cubitos duos cum dimidio, altitudinis cubitum ac semissem (Ex. XV, 10). Supra arcam erat corona aurea per circuitum, et ad duo latera hinc inde quatuor circuli aurei per quos immissi erant duo vectes ex lignis deauratis ad arcam asportandam cum opus esset, qui vectes nunquam ex circulis extrahebantur, (Ex. XXV, 15) eorumque extremitates velum tangebant. Arcae impositum erat operculum ex auro mundissimo, quod dici solet *propitiatorium*, seu oraculum, quia ex eo Deus responsa dare solebat. Ad utramque extremitatem propitiatorii erant duo Cherubim aurei alter contra alterum conversi, qui extensis alis propitiatorium tegebant, et quemdam quasi thronum divinae maiestati efficiebant, unde phrasim illam Scripturarum, qua Deus dicitur *sedere super Cherubim*. Intus vero in arca erant duae tabulae Legis Moysi traditae in monte Sinai, et olim etiam vas continens manna, et virga Aaron quae frondeverat (Hebr. IX, 4, coll. Ex. XVI, 34, Num. XVII, 25), verum haec duo postea sublata fuerunt: nam 3 Reg. VIII, 9, cum arca in templum Salomonis solemniter

inferretur expresse dicitur: « In arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb ».

2<sup>o</sup> *Altare thymiamatis*, seu *incensi*. Erat ara quaedam quadrangularis unius cubiti longitudinis, unius latitudinis, et duorum altitudinis, ex lignis setim aureis laminis purissimis contextis, unde *altare aureum* dicebatur: summitas altaris corona aureola cingebatur, et quatuor anguli ad instar cornuum prominebant. Sub corona duo annuli aurei per singula latera affixi erant, per quos vectes immittebantur ad altare portandum (Ex. XXX, 1-5). Hoc altare collocatum erat in Sancto ante velum secundum (ib. 6). Super hoc altari sacerdos quotidie thymiamata comburebat, et suffitum excitabat mane et vespere, et in die expiationis super cornua huius altaris asperso victimae sanguine pro peccatis populi deprecabatur.

3<sup>o</sup> *Candelabrum aureum*, in quo lampades diu noctaque ardebant pariter in sancto positum erat. Totum candelabrum ex auro purissimo extractum erat pondere unius talenti. Eius forma describitur Ex. XXV, 31 seqq., unde apparet partes eius fuisse: stipitem basi innixum, et recta linea assurgentem, sex calamos seu ramos recurvos ad altitudinem stipitis ascendentes, quorum singuli tres scyphos in formam nucis sustentabant, insuper sphaerulis ac liliis aureis ornati erant. Alii etiam scyphi quatuor ipsi stipiti affixi erant cum suis sphaerulis, ac liliis. Septem candelabris extremitates septem lampades gerebant, quas sacerdos mane et vespere forcipibus, seu emunctoriis aureis mundabat, sordesque in vase item aereo deponebat.

4<sup>o</sup> *Altare holocausti*, seu, *altare aeneum*. Hoc altare ex lignis setim aeneis laminis obductis confectum erat, unde aeneum dicebatur. Formae erat quadratae trium cubitorum per singula latera, desuper vero arena replebatur, super qua focus ignem gerebat. Quatuor anguli sursum eminebant ad instar cornuum. Ad altare ascendebatur non per gradus, sed per clivum ex terra aggestum (Ex. XX, 23, XXVII, 1-8). Erat autem positum in atrio sacerdotum ante ostium tabernaculi sub dio, et in eo sacrificia animalium a sacerdotibus offerebantur. Annulis ad latera infixis vectes aeneis laminis induti inserebantur ad altare portandum. Altari adnexa erant plura vasa aenea, scilicet lebetes ad cineres colligendos, forcipes, fuscinae, ignium receptacula, et craticula aenea

altari imposita. Praedictum altare non solidum erat sed cavum intrinsecus ita ut ignis ex foco in terram excidere posset.

5° *Labrum aeneum* inter altare, et ostium tabernaculi situm erat ad ablutiohem sacerdotum, qui manus, pedesque aqua exinde demissa lavare debebant antequam sacris ministeriis fungerentur. Erat autem ingens vas aeneum basi aeneae innixum quod fustum erat ex speculis aeneis quae matronae obtulerant ad usum Tabernaculi (Ex. XXX, 18).

6° *Mensa panum propositionis* posita erat in Sancto ad latus septentrionale contra candelabrum. Confecta erat ex lignis setim aureis laminis vestitis: duos cubitos longa erat, unum lata, unum et dimidium alta, duplici limbo seu corona aurea praecincta. Quatuor pedibus innitebatur, quibus affixi erant annuli, per quos vectes aurati immittebantur quibus mensa deferabatur (Ex. XXV. 23-28, XXXVII, 10-16) (1). Huic mensae duodecim panes azymi singulis sabbatis imponebantur calidi, et unus super alterum in duplici ordine disponebantur, qui per totam hebdomadam ibi remanebant coram Domino, ideo לֶחֶם פְּנִים (*panis faciei*) seu *panes propositionis* dicti. Singulis sabbatis sacerdotes panes removebant, qui in eorum tantum cibum adhiberi poterant, et alios calidos sufficiebant pro sequenti hebdomada (Ex. XV, 30, XXXIII, 40 seqq.) (2).

## ARTICULUS II.

### DE TEMPIO EIQUE ADNEXIS

Postquam annis 480 cultus divinus in Tabernaculo celebratus fuisset et Deus secundum phrasim biblicam *in tentorio habitasset* in medio populi sui, David iussus est domum seu templum stabile Deo aedificare, ad quem finem etiam pecuniam et materiam collegit, sed ab operis aedificatione prohibitus est ob nimium sanguinem quem effude-

(1) Isti annuli, tum mensae, tum altaris utriusque, aliorumque vasorum tabernaculi, in templo omissi fuerunt; utpote quae non amplius huc illic asportanda essent.

(2) Impensae necessariae ad usum Tabernaculi, ut pro victimis, aromatis, vino et oleo, solvebantur per tributum quod singuli Israelitae inde a XX aetatis anno solvere debebant pro Tabernaculo, dimidium scilicet sicli.

rat (2 Reg. VII, 3-13), eaque Salomoni filio eius regi pacifico reservata est, qui anno XI sui regni opus complevit ac dedicavit. Exinde totus apparatus divini cultus huic templo adnexus fuit, ibique Deus speciali ratione praesentiam suam ac potentiam ostendit usque ad excidium Ierosolymae per Chaldaeos, cum templum vastatum et solo aequatum est. Post reditum a captivitate iterum templum excitatum est sub Zorobabele et Esdra, quod *templum secundum* vocari solet. Demum Herodes magnus templum illud tantopere ornavit, et auxit ut quasi novum efficeret, ideoque a nonnullis tertium templum vocatur. In descriptione itaque templi Ierosolymitani tres istas epochas sive tria templa distinguere oportet.

#### I. *Templum Salomonis* seu *Templum primum*.

In vertice montis Moria extractam fuit secundum voluntatem David; narratur enim 2 Reg. XXIV, coll. 1 Par. XXI, angelum Domini evaginato gladio super verticem Moria super aream Ornan, seu Arenna Iebusaei a David conspectum fuisse, cum populus pestilentia affligeretur, eique praecipisse ut in eodem loco victimas Deo immolaret: quo audito David aream ab Ornan emit aureis siclis 600, ibique holocausta et pacifica offerre coepit, ac deinceps offerre continuavit, eundemque locum templo aedificando destinavit (2 Par. III, 1). Salomon itaque templi fundamenta iacturus animadverit aream illam toti aedificio, et adnexis aedibus capiendis satis non esse, cum hinc inde rupes abruptae descenderent, quare spatium ampliare constituit. Itaque primum verticem complanavit, et collem cinxit ad Orientem muro mirae altitudinis (metr. 216) deinceps etiam reliqua montis latera muro triplici altissimo circumdedit ex immensis saxis plumbo inter se vincis extracto, vacuum spatium macerie atque humo complens, ita ut demum area efformaretur, seu planities quadrata unius stadii (Ios. Fl. Antiq. Lib. XV, cap. 11, n. 3 seqq.). Cum templum ad imitationem Tabernaculi extractum esset, distinguenda in eo sunt 1° ipsa aedes, 2° vestibulum, 3° atria, 4° demum sacra vasa, atque in his comprehensa (1).

(1) Descriptio Templi Salomonici legitur 3 Reg. VI, VII, et 2 Paral. III, IV: verum nimis brevis et concisa est, ac praeterea vocibus technicis referta, quarum significatio accurate definiti non potest. Iosephus Fl. describit quidem accurate Templum, sed multa quae dicit manifeste referenda sunt ad Templum secundum, et quidem uti erat ab Herode restauratum, et

1° *Aedes sacra* Templi, seu ipsum Templum stricte sumptum, formam Tabernaculi referebat maioribus dimensionibus. Longitudo erat cubitorum 60 ab Oriente ad Occidentem, latitudo a Septentrione ad Meridiem cubitorum 20, altitudo 30 (3 Reg. VI, 2). Parietes lapidibus quadris antea diligenter laevigatis extracti erant (ib. 7). Laquearia ex nobilissimo ligno cedrino, quibus variae figurae palmarum, Cherubim, aliaque insculpta erant. Integri parietes intrinsecus tabulis cedrinis vestiti erant, ita ut lapidos non apparerent, tabulae vero aureis laminis tegebantur « *nihilque erat in templo, quod non auro tegetur* » (ib. 22). Templo adiecta erat ad latus orientale porticus duplex, quae porticus Salomonis dici solebat; deinceps vero etiam in reliquis lateribus porticus extractae fuerunt. Quemadmodum Tabernaculum, ita Templum in duas partes dividebatur, in quarum prima seu Sancto (cubitorum 40) erat altare thymiamatis, decem candelabra aurea, et decem mensae deauratae, in quibus praeter 12 panes apponebantur 100 scutellae aureae vino plenae, caetera etiam vasa aurea multo plura erant quam olim in Tabernaculo (3 Reg. VII, 48 seqq. 2 Par. IV, 19 seqq.). Interior vero pars seu Sanctum Sanctorum 20 cubitos habebat longitudinis, totidemque latitudinis et altitudinis; nam supra Sanctissimum erat cubiculum quod reliquos decem cubitos comprehendebat. Lux in aedem admitteretur per fenestras arctas et obliquas. Ingressus in Sanctum admitteretur per ostium, cuius valvae erant ex lignis olivae variis sculpturis ornatae, auroque obiectae, et cardinibus aureis innixae (3 Reg. VI, 38-35); similiter extracta erat, et ornata porta oraculi, seu Sancti Sanctorum: utramque vero tegebat velamen, seu siparium byssinum pretiosum, et mira arte intextum, sive acu pictum (2 Par. III, 14).

2° *Vestibulum* ante ostium Templi ad instar turris attollebatur ad cubitos 120, latitudo autem eius erat eadem ac templi, seu 20 reformatum, quod certum est valde diversum fuisse etiam in forma et architectura a Templo Salomonico. Quare huius notio clara et accurata reformari vix potest, et auctores in eo describendo, aut delineando non parum inter se differunt. Inter recentiores qui de hac re scripserunt laudari possunt B. Lamy op. cit. *De Tabernaculo Foederis*; L. Christ. Sturmius: *Sciographia Templi Ierosolymitani*; Fr. Ribera *De templo, et his, quae ad Templum pertinent* Libri V. Ex recentissimis autem laudati Robinson, Stanley, Wilson, Pierotti, de Vogüe: *Les Églises de la terre Sainte* etc.

cubitorum, profunditas autem cubitorum 40. Ante eius iannam duae immensae columnae aeneae Salomone positae fuerunt altitudinis 18 cubitorum, praeter capitella 5 cubitorum, et bases 13 cubitorum, peripheria vero uniuscuiusque columnae erat cubitorum 12: Salomon nomen dedit columnae in dextera parte erectae *Iachin*, sinistrae vero *Booz* (3 Reg. VII, 13-21).

3° *Atrium* circa aedem in area marmore strata duplex initio fuit, nimirum interius, et exterius: primum pro *Sacerdotibus*, alterum pro *Israelitis*: in his atrii plura erant cubacula, et aedificia, ubi utensilia, vasa sacra, annona asservabantur, et etiam sacerdotes ac levitae habitabant cum ministerio fungerentur. Ibi etiam lanitores morabantur (1 Par. IX, 22-27) et, ut videtur, etiam mulieres servitio templi addictae. Deinceps vero circa atrium Israelitarum adiectum est tertium atrium pro *Gentilibus*.

4° *Sacra vasa* templi praecipua eadem erant ac in Tabernaculo foederis multo tamen maiora. *Altare holocausti*, seu *aeneum*, a Salomone extractum ex lapidibus non sectis, et aeneis laminis obductis 20 cubitos longitudinis habebat, totidemque latitudinis, decem vero altitudinis. Huic altari adnexa erant quamplurima vasa aenea fusa ab Hiram Tyrrio sapientissimo artifice, quae enumerantur 3 Reg. VII, sed quorum forma et usus non satis innotescit. *Mare aeneum* מַרְיָהּ in locum labri aenei suffectum, erat immensum vas ex aere fusum, habens diametrum 10 cubitorum, peripheriam 30, capacitatem autem 3000 metretarum aquae (sectolitra 946); innixum autem erat super duodecim boves aeneos, quorum tres ad Orientem conversi erant, tres ad Occasum, totidemque ad Meridiem et Aquilonem (3 Reg. VII, 23-26, 2 Par. IV, 3-5). *Candelabra* uti diximus, decem erant, omnia aurea, item *altare aureum*, et *mensae* aureae decem (2 Paral. VI, 7, 8). *Arca Foederis* in Sancto Sanctorum collocata fuit, ita ut vices, qui longiores nunc erant, velum attingerent, (2 Par. V, 9); prope arcam vero duo cherubim ex ligno olearum auro obducti assistebant, quorum una ala usque ad parietem extendebatur, altera vero totam arcam cum vocibus tegebat: alarum longitudo ab una extremitate ad aliam erat 10 cubitorum, altitudo vero uniuscuiusque cherubim cubitorum 10 (3 Reg. VI, 23-28). Ad latera Templi, et ad ipsos parietes, excepto latere Orientali, ex trabibus et asseribus extracta

erant, conclavia trium contignationum, ad quae ascendebatur ex Parte australi per cochleam (3 Reg. VI, 5, 6, 8).

II. *Templum secundum, seu Zorobabelicum.*

Postquam Templum Salomonicum annis 423 stetitset a Chaldaeis eversum est, eiusque sacra vasa in Babyloniam asportata fuerunt. Cum igitur Iudaei a captivitate liberati per Cyrum in patriam reversi essent sub Zorobabele duce statim animum applicuerunt aedificando templo in ipso situ templi prioris (ante aer. vulg. 535), deinceps vero invidia finitimarum gentium, et iussu regis Persarum ab opere cessare coacti sunt per annos 15 (1 Esdr. IV, 23, 24), donec anno II Darii regis, urgentibus praesertim Aggaeo et Zacharia prophetis, opus continuari coepit eodem Dario annuente, et ad exitum perductum est (ante aer. vulg. 513) post 20 circiter annos a fundatione (1 Esdr. V, 1 seq. VI, 14–16), statimque eius dedicatio solemniter celebrata est. Cuiusmodi fuerit hoc templum ex Scripturis colligi non potest, sed multo inferius fuisse templo Salomonicum apparet ex eo quod legitur 1 Esdr. III, 12, Aggaei II, 3–4, seniores, qui prioris templi memoriam servabant, conspectis novi templi fundamentis, lacrymas fudisse, quos ideo Aggaeus consolatus est de minori gloria novae domus praedicens maiorem olim futuram eius gloriam quam templi prioris, ob praesentiam scilicet Christi Redemptoris (Agg. II, 4–10). In hoc Templo multi deinceps thesauri collecti fuerunt, non modo ex tributo, quod Iudaei ubique terrarum dispersi illi pendebant, sed etiam ex donis tum Iudaeorum, tum etiam advenarum et paganorum (2 Mach. III, 6, Ios. Fl. Antiq. XIV, 12, 1). Ceterum deerat secundo Templo praecipuum ornamentum, arca foederis, ideoque Sanctum Sanctorum vacuum erat, deerat etiam ignis sacer, oleum sacrum, Urim et Thummim (2 Par. VII). Candelabrum unum erat, unaque mensa aurea. Duo atria circa templum fuisse, sacerdotum nempe, et Israelitarum, refertur a Iosepho cum narrat Alexandrum Iannaenum primum ab altero per cancellos ligneos separasse (Antiq. XIII, 13, 5). Machabaei ad latus septentrionale templi arcem erexerunt *Baris* dictam, quam postea Herodes Magnus ampliavit et ornata *Antoniam* vocavit.

Sub Antiocho Epiphane templum hoc profanatum, ac expilatum fuit. Iudas vero Machabaeus, expulsis gentilibus, illud repurgavit, novum altare aedificavit, et cum magna laetitia iterum dedicavit,

cuius rei memoria quotannis a Iudaeis celebrabatur sub nomine festi *Eucoeniorum* (2 Mach. X, 4–8, Ios. X, 22).

III. *Templum Herodis.* Postquam Herodes regnum super Iudaeos adeptus est templum in praecedente epocha neglectum et labefactatum instaurare et ampliare decrevit; opus incoeptum est anno 19 regni eius, et uno anno cum dimidio, urgentibus sacerdotibus, ac levitis, aedes ipsa templi absoluta fuit, sed atria et aedes adnexae octo insequentibus annis continuantur aedificari, et ad multos adhuc annos perduravit opus circa vestibula, porticus, earumque ornamenta ita ut Iudaei vere dicere potuerint (Ios. II, 20): « *Quadragesima et sex annis aedificatum est templum hoc;* » quinimo nec tunc finitum erat, et nonnisi paucis annis ante finale excidium per Romanos ad exitum perductum fuerat. Quapropter haberi poterat hoc templum tanquam distinctum a templo Zorobabelis, licet ex alia parte ab illo non distingueretur, quia illud nunquam penitus eversum est ut aliud ei substitueretur, sed gradatim instauratum et ornatum fuit, interim sacrificiorum oblatione et rituum celebratione nunquam intermissa. Huius templi descriptionem tradit Iosephus Flavius Antiq. XV, 11, et de Bel. Iud. V, 5°.

1° *Sanctuarium*, seu templum stricte sumptum, ex marmore candido extractum erat duodecim gradibus altius vestibulo, quod quidem centum cubitos altum portam gerebat altitudine septuaginta et latitudine viginti quinque cubitorum sine valvis. Interior pars templi in altitudinem 60 cubitorum assurgebat, totidemque longitudinis habebat, 20 autem latitudinis: ex tribus lateribus circumdatum erat aedificio trium contignationum. Porta Sanctuarii 55 cubitos alta, et 16 lata viti aurea ornata erat, et aulae ac picto obducta (Ios. De Bel. Iud. V, 5–4). Tectum templi planum erat et auratis cuspidibus horrens (ib. n. 5, 6) Sanctum 40 cubitos longitudinis obtinebat, Sanctum Sanctorum vero 20. Ianna quae in Sanctum Sanctorum admittebat velo ac picto item claudabatur. In Sancto erat Candelabrum aureum unum, mensa aurea panum propositionis, et altare thymiamatis. Sanctum Sanctorum, deficiente arca, vacuum mansisse videtur.

2° *Atria* hoc templum tria habuit, alterum altero sublimius. Primum exterius erat *atrium gentium*, alterum, ad quod gradibus 14 ascendebatur erat *atrium Israelitarum* divisum in atrium

virorum, et atrium mulierum, tertium vero quadratum circa altare holocausti, et portam Sanctuarii dicebatur atrium sacerdotum.

3° Porticus in atrio gentium ad partem australem muri qui collem Moria cingebat tres erant, quadruplici columnarum serie conspicuae, ad reliqua vero latera murorum duplex erat porticus triplici serie columnarum. Ex his orientalis Porticus Salomonis dicebatur (Io. X, 23, Act. V, 12, Ios. Fl. de Bel. Iud. V, 5, 1). In porticibus Atrii gentium sedebant nummularii cum suis mensis, et venditores columbarum quos Christus flagello eiecit (Math. XXI, 12, 13): ibi etiam gazophylacia extracta erant ad templi suppellectilem et thesauros servandos, quae a Iosepho commemorantur (Bel. Iud. VI, 3, 2). Quae tamen distinguenda sunt a Gazophylacio commemorato Mar. XII, 41, quod donis excipiendis destinatum erat, quodque in atrio Israelitarum fuisse obvium est. Item aedes, et conclavia ad habitandum. Ibi secundum constantem traditionem B. Maria Virgo pueritiam, et primam adolescentiam transegit Templi servitio addicta, ibi etiam Christus puer triduo mansit inscia matre, ac S. Ioseph, ibi etiam docuit, et cum sacerdotibus ac Pharisaeis saepe disputavit: et generatim de his atriis ac porticibus cogitandum est quoties in Evangelio aliquid in Templo gestum fuisse narratur: ipsum enim Templum stricte sumptum sacerdotibus tantum patebat, ut saepe dictum est. In atrio Sacerdotum ingens altare holocaustorum erigebatur in altitudinem 43 cubitorum, ad quod ascendebatur per clivum ex parte australi (Ios. Bel. Iud. V, 3, 6).

4° Portae Templi exteriores plures erant, per quas in porticus et atria aditus patebat; totus enim mons, uti vidimus, altissimis muris undique cinctus erat. Porta maxima ac praecipua erat illa in muro orientali exteriori altitudine aequans sanctuarium, et tota aere corinthio fulgens, quae ideo porta speciosa dicebatur, ad quam Petrus claudum sanavit (Act. III, 2 seqq.). Ex parte australi murus portam habebat quae ducebat in civitatem inferiorem (Ios. Antiq. XV, 11, 5). Ex parte occidentali erant quatuor portae, quarum duae per multos gradus ducebant in subiectam vallem Tyropoeon, tertia per pontem ducebat ad montem Sion, quarta in inferiorem urbem aditum praebebat (Ios. De Bel. Iud. V, 5, 3). Ad Aquilonem porta nulla erat, sed arx Antonia templum custo-

diebat, aditumque ad illud praebebat: ibi cohors militum Romanorum excubabat (Act. XXI, 31 seqq. Ios. loc. cit.). In muro etiam interiori tres portae erant, una in muro orientali contra portam speciosam, et duae quae ducebant in atrium mulierum. Omnes praefatae portae auro argenteoque erant ornatae, et ad instar turrium ad cubitos 40 attollebantur.

Post Ierosolymae ac templi eversionem omnes istae magnificentissimae structurae dirutae ac solo aequatae fuerunt, secundum Christi prophetiam, qui paulo ante suam passionem mirantibus apostolis splendorem et divitias aedificiorum templi respondit: « Videtis haec omnia? Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat » (Math. XXIV, 2). Nihilominus situs templi, substructiones, muri exteriores, et alia quaedam ex adiectis aedificiis recenter detecta fuerunt et descripta a Pierotti, Vogüe, Robinson, Warren, Porter aliisque.

### ARTICULUS III.

#### DE SYNAGOGIS, EARUMQUE USU (1)

I. Sacrificia nonnisi in Templo offerri poterant, quo omnes Hebraei masculini sexus ter in anno ex tota Palestina convenire debebant. Cetera tamen religionis ac pietatis exercitia, ut Scripturarum lectio, preces, cantus sacri aliaque huiusmodi Templo affixa non erant, et in aliis quoque locis peragi solebant tum in reliquis Palaestinae urbibus et oppidis, tum in ipsa Ierosolyma extra Templi ambitum. Ita in libris Regum narratur fideles Hebraeos in scholis Prophetarum convenire solitos fuisse singulis sabbatis ac neomeniis ad laudes Dei canendas, et ad Scripturarum lectionem audiendam (1 Reg. X, 5-11, XIX, 18-28, 4 Reg. IV, 23), itemque in captivitate Babylonica pios Iudaeos apud Prophetas, sanctosque viros convenisse innuitur Ezech. XIV, 1, XX, 1, Dan. VI, 11, coll. 2 Esdr. VIII, 1-18. Serrus aedes ad hunc finem extrui coeperunt aetate, uti videtur, Macha-

(1) De his conferri possunt Seldenius: *De Synedriis Vet. Hebraeorum* Lib. III, Camp. Vitringa: *De Synagoga Vetere*, Adr. Relandus: *Antiquitates sacrae Vet. Hebraeorum*: Io. Buxtorfius *Synagoga Iudaica* item opuscula Sauberti, Polemanni et alia collecta in *Thesauris Ugolini* to. XXI.

baeorum saltem in Palestina, in aliis enim regionibus diu ante in usu fuerunt. Aedes istae a Iudaeis hellenistis *Συναγωγαί* Synagogae appellatae sunt, vel *Ἱεροσολυμαί*, seu *oratoria*, a Iudaeis vero palaestinensibus et orientalibus dicuntur *בְּתֵי כְנֶסֶת* sive *Domus congregationis*. Sub finem reipublicae Hebraeorum ita multiplicatae sunt, ut ubique locorum, tum Ierosolymae, tum alibi occurrerent, (Act. XV, 21) ubicumque scilicet sufficiens Hebraeorum numerus adesset, plus minus ut apud nos Ecclesiae parochiales. In his *Synagogis* vel *proseuchis* Christus Dominus saepe Scripturas post lectionem explanavit (1) et Apostoli post Christi ascensionem saepe saepius Iudaeos alloquuti sunt et Evangelium praedicarunt (Act. XIII, 14 seq. 27).

Ierosolymis plures nationales, uti dicitur, synagogas extitisse pro variis gentibus innuit Act. VI, 9, eiusdemque urbis synagogas omnino 480 fuisse referunt Talmudistae, quemadmodum Alexandriae 100 extitisse synagogas auctor est Philo Iudaeus (2).

II. *Structura* synagogarum olim Templi Ierosolymitani formam referebat, aedem scilicet complectebatur, cum atriis et porticibus, uti etiam nunc in Oriente synagogae extrui solent. In medio atrii est locus elevatus quasi Sanctum Sanctorum ubi sacra volumina asservantur, et leguntur: inde sedes, vel subsellia in varios ordines distributa sunt pro varia auditorum conditione et dignitate; unde illa Christi reprehensio adversus scribas et Phariseos: « Amant autem primos recubitus in coenis; et *primas cathedras in synagogis.* » Mulieres in loco separato sedent unde viros quidem videre possunt, non autem ab iis videri. E regione suggesti, unde lectio fit, extat armarium seu scrinium, in quo religiose asservantur sacra volumina hebraica, diversi scilicet scripturae Libri in sabbatis legendi membranis inscripti (absque punctis), et bacillis circumvoluti (*rotoli*), pretiosoque panno obducti. Hebraei cum ad ostium synagogae pervenerint paulisper consistunt, ibique preces matutinas recitant, amici pallio quadrato, quo in Synagoga uti debent, mox vero ingressi synagogam accedunt ad scrinium, unde

(1) Ipse Christus respondens Pontifici de eius doctrina interroganti ait: « Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt. » Io. XVIII, 20, quod etiam fecisse narratur Luc. IV, 16 seqq.

(2) Vide de his accurate disputantem Bernardum Lamy: *De Tabernaculo Foederis*, Lib. IV, cap. VII, Sect. 1.

extrahunt duo volumina, alterum Legis, alterum Prophetarum pro lectione, eaque solemniter deferunt per gyrum intra synagogam donec ad suggestum perveniant, ubi volumina super appositam mensam deponunt. Deinde fit lectio elata voce primum *Legis* (*פְּרָשִׁי*) deinde *Prophetarum* (*הַפְּתִירָה*). Qua finita Legisperitus partem Scripturae perfectam breviter explicat. Deinde preces publicae funduntur praecinente ministro, et in fine Praeses (Rabbinus) populo benedicit volumine Legis, quod explicatum attollit supra frontem tenens illud inter duos bacillos ligneos, circa quos membrana revolvitur.

III. Unicuique Synagogae addicti sunt 1° *Archisynagogi*, seu directores, quibus praest unus ceteris superior qui dicitur *Hazan*, et est proprie caput synagogae (Lightfoot, Lamy); 2° *Seniores* *זְקֵנִים*, qui de gravioribus negotiis consuluntur; 3° Qui dicuntur *legati synagogae*, ad quos pertinet preces publicas recitare, et cum aliis synagogis communicare nomine plebis; 4° denique *famuli synagogae*, qui humilioribus ministeriis funguntur. Archisynagogi ab Hebraeis *רַבִּים* *Rabbin* (*Magistri*), vel *הַכֹּהֲנִים* *Hacamin* (*sapientes*) etiam vocantur, eo quod Scripturarum scientia pollere supponantur, eamque plebem docere debeant. Haec quidem in recentioribus Hebraeorum synagogis observantur: at etiam apud veteres Hebraeos eandem disciplinam viguisse suadet huius gentis tenacitas in paternis traditionibus sequendis. Certe de *archisynagogis*, eorumque officio saepe in libris N. T. fit mentio, ut apud Marcum V, 22 seqq. ubi *quidam de archisynagogis* nomine Iairus filiam suam morientem Domino commendasse dicitur, quam paulo post mortuam Dominus ad vitam revocavit, et in Actis Apostolorum XIII, 14 seqq. Paulus et Barnabas Antiochiae Pysidiae « ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis et Prophetarum miserunt *principes Synagogae* (*Ἀρχισυναγωγοί*) ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. »

## CAPUT II.

### DE TEMPORIBUS SACRIS (1)

Ut in Ecclesia Christiana, ita et in Synagoga praeter ordinarium cultum quotidie Deo solvendum, certa quaedam tempora specialibus ritibus sanctificanda per anni circulum recurrebant, eaque sive iure divino, sive auctoritate synagogae, vel pia consuetudine inducta ac sancita. De his singillatim pauca dicenda sunt.

## ARTICULUS I.

### DE PRAECIPIIS FESTIS HEBRAEORUM

Festa Hebraeorum triplicis generis erant: nonnulla enim per singulas hebdomadas recurrebant, ut Sabbata; alia per singulos menses, ut Neomeniae; alia demum semel in anno, ut Pascha, Pentecoste, Scenopegia et reliqua, quorum tamen nonnulla pluribus diebus continuabant, et ea quae in mense Adar celebranda erant cum annus intercalaris occurreret in mense embolismico Vedar erant repetenda.

I. *Sabbata*. Observantia diei septimi tanquam Deo sacri a mundi origine repetenda est, scilicet ex eo quod Deus die septimo a rerum creatione cessasset, eumque sanctificasset, ut expresse dicitur Gen. II, 2, 3. Moyses igitur hoc festum non instituit, sed tantum confirmavit eiusque officia distinctius promulgavit Ex. XX, 8 seqq., Lev. XXIII, 3, Deut. V, 12 seqq. In primo ex citatis locis ita legitur: « Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum, et advena

(1) Cfr. de his Io. Meyer: *De temporibus sacris, et festis diebus Iudaeorum*; Io. Spencer: *De legibus ritualibus Iudaeorum*; Bern. Lamy: *Apparatus biblicus, et de Tabernaculo foederis*; item Aug. Calmet in *Commentario in S. Script. in Dissertationibus*.

qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum». Causae huius institutionis plures fuerunt. Primo scilicet ut religioni atque divino cultui impensius homines vacare possent, tum etiam ad beneficium creationis recolendum, demum ut opportuna requies laborum daretur familiae, servis ac iumentis.

Observantia Sabbati rigidior erat apud Iudaeos quam sit festorum obligatio apud nos. Non modo enim hac lege tenebantur etiam advena non Iudaei inter Hebraeos degentes, sed insuper opera quaecumque etiam non servilla inhibita erant, ut ex citatis verbis apparet, nec non ex aliis locis ex. gr. Ex. XII, 16 unde colligitur nec cibos coquere ac praeparare licitum fuisse, qui idcirco die praecedenti parari solebant, atque ideo etiam manna in feria sexta colligendum erat etiam pro sabbato sequente, aiente Moyses: « Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est facite, et quae coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit reponite usque in mane. » Hac de causa Iudaei hellenistae diem sextam Παρασκευήν seu praeparationem vocarunt, ut in Evangelio passim (1). Pharisei nimis rigide hanc legem explicantes tenebant illicitum esse die sabbati negotia tractare, ultra mille passus deambulare, rem quamcumque, puta lectum, de loco in locum transferre, et Apostolis succensebant quod spicas vellerent ad famem levandam, imo et ipsi Christo quod aegros a variis morbis sanaret: quae tamen interpretatio ab aliis doctoribus non admittebatur, et a Christo Domino severe reprehensa est. Sabbati violatores poena lapidationis (Ex. XXXI, 16, Num. XV, 35, 36) puniendi erant. Praeter haec in Sabbato omittenda nullam positi-

(1) Cum Iohannes dicat (Io. XIX) Christum passum esse in Parasceve Paschae nonnulli obvia vocis significatione decepti existimarunt Christi mortem accidisse die praecedente festum Paschae. Quod tamen admitti nequit: Christus enim ipso die solemnitate Paschae mortem oppetiit, ut figura in figuratum, et umbra in veritatem verteretur. Dicitur autem dies illa Parasceve Paschae quia in illo anno solemnitas Paschae in feriam sextam seu Parasceven incidit, unde parasceve illa diei potuit parasceve Paschae sicut nos ex. gr. vocamus Dominicam Pentecostes diem illam dominicam, in quam incidit festum Pentecostes, item feriam secundam Pentecostes etc.



vum opus praescriptum fuisse videtur: licet enim peculiare ritus in templo perficiendi essent a Sacerdotibus, ut infra videbimus, non tamen adstringebantur fideles iisdem interesse, aut Templum utrumque adire. Dubium tamen non est pios Iudaeos secundum spiritum Legis specialibus religionis actibus sabbatum sanctificasse, et saltem in Synagogis communibus precibus, et Scripturarum lectioni operam dedisse, quibus exemplum se praebat Christus, ut legitur Luc. IV, 16: « Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in Synagoga, et surrexit legere. »

II. Ad imitationem Sabbati hebdomadalis institutus est *Annus sabbaticus*, et *Annus Iubilariis*, de quibus hic pauca subiiciemus. *Annus sabbaticus* erat septimus quique annus, qui speciatim quieti et religioni dabatur, ut septimus dies in hebdomada (Ex. XXXIII, 40, 44). Incipiebat autem annus sabbaticus a prima die mensis Tisri, seu a novilunio Septembris. Anno sabbatico haec praecipiebantur:

1° Terra arari non poterat, nec seri, nec fructus sponte natos fas erat colligere, sed pauperibus erant relinquendi: item nec vineae, nec oliveta excolenda erant (loc. cit.). 2° Omnia debita ex venditione, vel praestatione a Iudaeis contracta, hoc anno exigi non poterant quare dicebatur *annus remissionis*. A peregrinis tamen et advenis debitum repeti poterat (Deut. XV, 4-3). 3° Servi hebraei (non vero extranei) manumittendi erant (ib. 14-13). 4° Lex publice populo praelegenda erat a Sacerdotibus in festo Tabernaculorum (Deut. XXXI, 10-13). De huius institutionis salutaribus effectibus dicetur in Sectione sequenti.

*Annus Iubilariis* celebrabatur post septem annos sabbaticos, seu quinquagesimo quoque anno. Hic annus decima die mensis septimi a Sacerdotibus clangore cornuum indicebatur. In eo autem pariter quies danda erat agris, vineis, et olivetis; servi hebraeae originis libertate donabantur, debita remittenda erant, agri in pignus vel usum creditoribus traditi debitori reddebantur. Itemque debitores qui cum non essent solvendo in servitutem traditi fuerant libertatem recuperabant. Denique omnia bona haereditaria, et quaelibet praedia quae post ultimum annum Iubilarem vendita aut pignorata fuissent ad primos possessores redibant sine ullo pretio, aut compensatione. (Lev. XXV, 8-16, 23 seqq.). Hinc etiam fiebat ut in

anno Iubilari novae tabulae fieri solerent, et etiam quae ad chronologiam hebraeorum et genealogias spectabant concinnarentur (Ios. Antiq. III, 12, 3).

III. *Neomeniae*, seu festa novilunii.

*Neomenia*, graece significat novilunium, seu mensis lunaris initium, eoque nomine Hebraei hellenistae designarunt festum eo die a Iudaeis celebratum: in Vulgata latina modo eadem vox *neomenia* retinetur, modo vox *kalendae* more Romanorum substituitur ex. g. Num. X, 10. Primus itaque dies uniuscuiusque mensis sacer erat, quamvis abstinentia ab operibus non esset praecipua, nisi in neomenia septimi mensis, quae ceteris solemnior erat (Num. XXIX, 4). In Lege quidem expresse nihil praecipitur, nisi speciale holocaustum a sacerdotibus offerendum Num. XXVIII, 11-15.: ex consuetudine tamen et Legis interpretatione factum est, ut etiam populus hunc diem tamquam sacrum solemnem haberet, cuius etiam initium tubarum clangore promulgabatur, per quamdam extensionem legis Num. X, 10, qua clangor tubarum praecipiebatur in oblatione holocausti eo die offerendi. Hoc etiam partim a Lege partim a Synagoga ad hunc finem institutum videtur ut Iudaeorum animi a paganorum superstitione averterentur, qui solebant lunae sacrificare.

IV. *Pascha*, seu solemnitas Paschalis.

Inter solemnitates quotannis recurrentes tres erant praecipuae, *Pascha*, *Pentecoste*, et *Scenopegia*, seu festum Tabernaculorum, in quibus solemnitatibus omnes saltem masculi tenebantur se sistere Domino, olim quidem in Tabernaculo foederis, postea vero in Templo, ibique sacrificium offerre, ut expresse legitur Ex. XXIII, 14, et Deut. XVI, 16 seqq. (1). His accedebat solemnitas *Expiationis*, et recentiori aetate solemnitas *Phurim*, et solemnitas *Encaniorum*. De singulis breviter, et primum de Pascha.

Vox *Pascha* ex hebraica פֶּסַח orta est, quae proprie *transitum*, vel *saltum* significat iuxta illud Ex. XII, 14: « Est enim *phase*

(1) In altero ex citatis locis ita legitur: « Tribus vicibus per annum apparbit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate Azymorum (*Pascha*), in solemnitate hebdomadarum (*Pentecoste*), et in solemnitate Tabernaculorum. Non apparbit ante Dominum vacuus: sed offeret unusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. »

(פסח) id est *transitus Domini*. Institutum est enim hoc festum in memoriam liberationis Hebraeorum a strage primogenitorum Aegypti, cum, linitis sanguine Agni postibus Hebraeorum, angelus exterminator eorum domos *transiit*, et primogenitos eorum non occidit (ib. 23). Dicebatur etiam *festum Azymorum* eo quod per totam hebdomadam Paschae non liceret pane fermentato vesci. Per quamdam vero extensionem, seu metonymiam ipse agnus tunc immolandus dicebatur Pascha, unde frequentes illi loquendi modi: *comedere pascha*, et *immolare pascha*. Solemnitas Paschae incipiebat die decima quarta mensis *Nisan* (seu *Abib*) cum agnus sub vesperam, seu, ut habet textus hebraicus, *inter duas vespere* (Ex. XII, 6) immolandus erat, quia hora illa Hebraei ex Aegypto egressi fuerant (Deut. XVI, 6). Agnus ille a patrefamilias seligendus erat die decima eiusdem mensis (Ex. XII, 3), et erat custodiendus usque ad diem decimam quartam. Agnus autem, vel eius loco hoedus (1) esse debebat « *absque macula* (non quidem in vellere, sed in membris corporis) *masculus, anniculus*. » Immolandus autem erat in loco sancto, scilicet primum in Tabernaculo, deinceps in Templo, ut expresse praecipitur Deut. XVI, 5, 6, quamvis nonnulli id negaverint, qui dicunt comedendum quidem fuisse Agnum in urbe Ierusalem, idque tantum in loco citato Deuteronomii praecipitur, non tamen necessario in Templo immolandum: sed hoc admittendum non videtur, et contraria sententia communis est inter Patres, et interpretes. Nec obstat quod primus agnus Paschalis a singulis patribusfamilias immolatus fuerit, tunc enim nondum Sacerdotes electi et consecrati fuerant, nec dum fuerat erectum Sanctuarium, sed Hebraei adhuc sub lege naturae vivebant (2). At deinceps legitimis sacrificiorum ministris cessit officium matandi

(1) Ait enim sacer textus loc. cit. post descriptum agnum paschalem: « *iuva quem ritum tolletis et hoedum* » quae verba non significant praeter agnum, etiam hoedum seponendum et immolandum fuisse, sed potius in locum agni, si quando rei necessitas id postulasset.

(2) Primum Pascha celebratum est ab Hebraeis in Aegypto, cum agni sanguine superflinaria et postes domorum linire fussi sunt ut a strage primogenitorum immunes evaderent. Tum vero praecceptum est quotannis eodem die recurrente agnum immolare, et comedere in memoriam illius liberationis, et egressus populi ab Aegypto (Ex. XII, 43 seqq. XIII, 5 seqq.).

agnum Paschalem, ut et ceteras victimas in Sanctuario (Cfr. 2 Par. XXX, 1-3, XXXV, 13, seqq., 1. Esdr. V, 19, 20, Ioseph Antiq. X, 5, Bel. Ind. VI, 9, 3).

Ritus Agni Paschalis accurate describitur Ex. XII, ubi tamen notandum est quaedam praescribi quae in prima tantum Paschalis celebratione ipsa nocte Exodi observanda erant, ut ex. gr. quod sanguine agni liniendi essent domorum postes, et quod comedendum esset festinanter, renibus praecinctis, et baculis manu apprehensis. Cetera vero etiam in annua Paschalis renovatione servanda erant, ut agnum tantum igne assatum comedendum esse, nihil ex eo extra domum efferendum, nec in crastinum servandum, advenas et mercenarios ab eius esu excludendos, cum pane, azymo et lactucis agrestibus edendum esse, nec quidquam ossium agni frangendum. Haec autem mysticas quoque significationes habuisse in ordine ad Christi sacrificium, tum cruentum in cruce, tum incruentum in Sanctissima Eucharistia alibi declaravimus (1). Si una familia non sufficeret ad consumendum agnum, vicini advocandi erant: utrum viri tantum an etiam mulieres ad esum agni essent admittendae inter ipsos Hebraeorum doctores olim disputabatur.

Ad tempus quod attinet agnus Paschalis die decima quarta mensis *Nisan*, seu primi mensis anni sacri immolandus erat sub vesperam, et comedendus, atque ita incipiebat solemnitas Paschalis (2).

(1) Quaerunt eruditi an Hebraei pascha comedere debuerint stantes, an mensae acumbere potuerint. At distinguendum est primum illud Pascha in Aegypto celebratum, ab aliis quae quotannis recurrebant: prima illa vice Hebraeos stantes agnum comedisse ex loc. cit. Exodi colligitur, deinceps vero circumstantia ista praescripta fuisse non videtur. Nihilominus tradunt Talmudistae Hebraeos consuevisse Pascha comedere stantes usque ad captivitatem babilonicam, non vero postea. Et sane Christus et Apostoli ad mensam *discumbentes* agnum paschale comederunt, ut apparet ex Luc. XXII, 14, 15.

(2) Hic gravissima, et celeberrima occurrit quaestio de ultimo paschate a Christo Domino celebrato ante passionem: si enim verum est eum ipso paschatis die mortuum esse, sequi videtur pascha ante tempus praescriptum celebrasse. Haec difficultas pluribus sententiis originem dedit. 1<sup>a</sup> *Sententia*, quam Bern. Lamy acriter defendit, et post illum A. Calmet, negat Christum in ultima coena agnum Paschalem comedisse (contra expressa ipsius Christi verba Mat. XXVI, 17-19, Marc. XIV, 14-18). 2<sup>a</sup> *Sententia* Graecorum est, qui contendunt Christum agnum Paschalem comedisse, non tamen eadem

Die sequenti offerendus erat primus hordei manipulus cum altero agno in holocaustum (Lev. XXIII, 10 seqq.): quo ritu messis incipiebat. Sequentibus etiam diebus aliae victimae offerendae erant, usque ad diem vigesimam primam in cuius vespere desinebat solemnitas Paschalis (Num. XXIX, 17 seqq.). Interim vero abstinentia ab operibus praecipua non erat. Praecipue vero usus panis fermentati prohibebatur tota hebdomada, et azyma tantum adhibenda erant, ut severissime praecipitur Ex. XII, 15: « Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. » Huic praeepto Hebraei religiosissime obsequentes solebant matutino tempore diei decimae quartae Nisan domos expurgare ab omni fermentato, sollicitè perscrutantes omnes mensas, armaria, et angulos domorum ne quid forte fermentati lateret, ad quem usum alludit Apostolus pulchris illis verbis 1. Cor. V, 7: « Expurgate vetus fermentum, ut situs nova conspersio, sicut estis azymi. »

Qui non potuissent die praescripto Pascha celebrare, vel ob infirmitatem, vel itineris causa, vel ob aliquam legalem immunditiam, tenebantur agnum immolare et comedere cum omnibus praescriptis ritibus in mense sequente *Nisan* die decima quarta ad vesperam, ut expresse dicitur Num. XI, 40, seqq. Et haec satis sint de Paschate (1).

nocto cum Iudaeis, seu in secundis vespers diei XIV, sed nocte precedente quod dicunt indicari a Iohanne XIII, 1, XVIII, 8, XIX, 14. Hinc vero deducunt Christum panem fermentatum consecrasse. 3<sup>a</sup> *Sententia* (Pauli Bergensis, Petavii, Maldonati al.) tenet Christum tempore quidem legali, seu die XIV, Pascha fecisse, non tamen cum Iudaeis, quia isti eo anno distulerant Pascha usque ad feriam sextam sequentem. 4<sup>a</sup> Denique est sententia verior S. Thomae, et communis Latinorum, qui dicunt Christum agnum comedisse et die XIV, et simul cum Iudaeis, et Iohannem in locis citatis hoc non excludere. Sed haec innuisse sufficiat.

(1) Ad imitationem Paschatis Hebraeorum institutum est Christianorum Pascha ad commemorandam resurrectionem Christi Domini nostri, qui est *Pascha nostrum* per agnum illum Paschalem mystice praefiguratum, per quem liberati sumus non a temporali morte, et servitute, sed a servitute diaboli et a morte aeterna. De die quo Pascha a Christianis celebrandum esset gravissimae olim extiterit controversiae inter Asianos, qui illud celebrare volebant ipsa luna XIV Martii simul cum Iudaeis, et Latinos, qui, ne

V. *Solemnitas Pentecostes.*

A secunda die Paschatis numerandae erant septem hebdomadae, et dies quinquagesimus qui sequebatur sollemnis erat et vocabatur *festum hebdomadarum*, a Iudaeis vero hellenistis *Pentecoste*. Institutum autem est hoc festum tum in memoriam Legis in monte Sinai promulgatae die quinquagesimo post primum Pascha, tum in gratiarum actionem ob receptam messem. Hinc praeter sacrificia in hoc festo Pentecostes offerenda praecipua erat oblatio duorum panum farinae novae triticeae (Lev. XXIII, 15-20). Abstinentia quoque ab operibus servilibus die Pentecostes praecipua erat (ib. 21). Hoc etiam festum ad Christianos transit, et institutum est in memoriam adventus Spiritus Sancti die quinquagesimo post Resurrectionem Christi Domini.

VI. *Festum Tabernaculorum*, quod a Iudaeis hellenistis *Σκηνοπηγία Scenopegia* dicitur.

Hoc festum institutum fuit in memoriam peregrinationis Hebraeorum in deserto, quo tempore in tabernaculis, seu sub tentoriis habitaverunt, simul etiam in gratiarum actionem pro terrae fructibus, et vindemia. Celebrabatur hoc festum octo solidos dies, a die decima quinta usque ad vigesimam tertiam mensis septimi (*Tisri*): primus tamen et ultimus dies solemniores erant, in quibus ab operibus abstinere debebant, non autem in reliquis diebus. Durante hac solemnitate Hebraei in tentoriis habitabant, quae plerumque super tecta domorum, vel in locis domui contiguis erigebantur, et extra illa dormire, aut cibum sumere vetitum erat. Primo autem die festi Iudaei in manibus gestare debebant palmarum aut aliarum arborum ramos, et fructus arboris cuiusdam pulcherrimae (Lev. XXIII, 40) laetitiae causa, reliquis vero diebus hosce ramos et fructus dumtaxat in templo gerebant dum altare circumeuntes hosanna canebant, clangentibus undique sacerdotum tubis, ad quem ritum respicere videtur visio Iohannis Apoc. VII, 9-12. Septima die Iudaei septies altare circumibant in memoriam expugnationis urbis Iericho. Praeterea holocausta, et oblationes praescriptae erant, et laeta con-

sum Iudaeis in hoc convenirent, celebrabant Pascha die Dominica quae sequitur lunam XIV post aequinoctium vernum. Haec altera praxis post sententiam Victoris Papae, et decretum Concilii Micaeni universalis, et praecipua evasit, et adhuc in Ecclesia viget.

vivia agebantur, multi etiam vota et oblationes spontaneas ad-  
dere solebant. Haec omnia accurate descripta inveniuntur Lev.  
XXIII, 34-44, et Num. XXIX, ubi praecipue de sacrificiis et li-  
bamentis sermo est. Demum cum festum Tabernaculorum incide-  
ret in annum sabbaticum lex Moysi populo praelegenda erat iuxta  
praecipuum Dent. XXXI, 10 seqq. In die octavo qui magna so-  
lemnitate celebrabatur fiebat *coetus*, vel *collecta*, uti legitur in Vul-  
gata, quod a multis intelligitur, de pecunia collecta ad templi et  
cultus divini expensas, ab aliis vero melius de simplici clausura  
festivitatis, iuxta vim Hebraicae vocis.

VII. *Festum Expiationis*, seu *Propitiationis*.

Institutum fuit hoc festum in expiationem peccatorum universi  
populi, sive eorum, quae dolo malo, sive eorum quae inadverten-  
ter, aut per ignorantiam commissa fuissent. Celebrabatur autem  
die decima Tisri, seu quinque diebus ante festum Tabernaculorum.  
Omnes Hebraei debebant primum ab operibus abstinere, tum etiam  
rigidum ieiunium servare, nullum capientes cibum a vespera usque  
ad vesperam (Lev. XXIII, 27-32, Num. XXXI, 7), item plura sa-  
crificia offerre quae descripta habentur Num. XXIX, 8-11. Maxi-  
mus vero ritus erat qui perficiebatur a Summo Pontifice, cui hac  
tantum die licebat Sanctum Sanctorum ingredi ut ibi coram arca Do-  
mini incensum adoleret, et digito sanguinem victimae aspergeret.  
Post haec locum habebat caeremonia capri emissarii, in cuius  
caput imponebantur peccata totius populi, quo facto in desertum  
ducebatur ibique relinquebatur. Qui ritus describitur Lev. XVI,  
ut vidimus superius (Hermeneuticae Par. I, Sect. I, Cap. III) ubi  
etiam adnotavimus mysticam huius ritus significationem de Christo,  
eiusque expiatoria morte (1).

(1) His a Lege praescriptis Iudaei etiam nunc alia poenitentiae et pie-  
tatis exercitia addere solent. Multi totos decem dies festum praecedentes in  
operibus poenitentiae impendant, pulla veste induti, noctemque praecedentem  
totam in synagoga transigunt. Solent etiam peccatorum confessionem  
decies facere, cuius ritus ita describitur a Calmet in Dictionario S. Scripturae  
pag. 319: « Duobus Iudaeis in angulum synagogae reductis, alter qui reum  
agit toto corpore ad septemtrionem, humeris ad meridie[m] versus, pronus,  
et dorso nudatus crimina sua fatetur, pectus interim tundens, quoties ab  
altero, qui confitentem auscultat, loro quodam triginta et novem fibibus  
certisque precibus recitatis, percussitur, preces autem ex verbis Psalmi

VIII. *Festum Phurim*, seu *Sortium*.

Hoc festum recentioris institutionis est, et originem habuit a  
Mardocheo Estheris patruo qui conspiratione Amani detecta, ope  
Estheris gentem suam ab excidio liberavit (Esther IX, 20-32):  
quare hoc festum vocatum est etiam *dies Mardocheae* (2 Mach.  
XV, 37). Celebrabatur hoc festum die decima quarta et decima  
quinta mensis Adar, seu ultimi mensis anni sacri. Vocabatur, *Phu-  
rim*, quae vox persice *sortes* significat, quia Amani sorte elegerat  
diem in quo omnes Iudaei in ditione regis Assueri degentes oc-  
cidendi essent (Esther III, 7-13, IX, 24, seqq.). In hoc festo totus  
liber Esther praelegebatur in Synagogis, et ieiunium servabatur in  
memoriam ieiunii Estheris, et acceptae liberationis.

IX. *Festa Encaeniurum*.

Vox *Encaenia*, *Ἐγκαίνια*, dedicationem significat. Porro Hebraei  
quatuor festa dedicationis Templi celebrant. 1° Dedicatio Templi  
salomonici celebrabatur mense Tisri; 2° dedicatio secundi Templi, seu  
Zorobabelici mense Adar; 3° dedicatio, seu renovatio dedicationis  
Templi, post Antiochi Epiphaniis profanationem, per Iudam Macha-  
baeum, celebrabatur die decima quinta mensis Casleu, et se-  
ptem dies durabat (1 Mach. VI, 52, seqq., 2 Mach. X, 1-4);  
huic festo Christus interfuisse dicitur Io. IX, 22. Vocabatur haec  
solemnitas *festum luminarium*, quia Iudaei laetitiam suam ob com-  
memorationem illius eventus accensis facibus, et luminaribus signi-  
ficare solebant; 4° denique dedicatio templi ab Herode instaurati  
et ornati peculiari festo commemorari solebat.

X. Praeter memoratas solemnitates duae aliae in libris Macha-  
baeorum indicantur, altera scilicet in memoriam detecti sub Nehem-  
ia ignis sacri (2 Mach. I, 8, seqq.), altera in memoriam victo-  
riae de Nicanore eiusque exercitu a Machabaeis relatae (1 Mach.  
VII, 48 seqq., 2 Mach. XV, 87), sed haec festa parum durasse  
videntur. Praeterea Iosephus Flavius de Bello Iud. lib. II, cap. XVII, 6  
mentionem facit de festo *Ἐλεποριάζ*, seu *exportationis lignorum*,

LXXXVIII, 38 desumuntur. De his fuit agit Io. Buxtorfius in sua *Sy-  
nagoga Iudaica* cap. 20 seqq. ubi etiam alios ritus refert, qui utpote  
ridiculi et superstitiosi in desuetudinem abierunt. Vide etiam curiosum  
opusculum Al. Vincenzi: *La confessione vocale dei peccati praticata nella  
Sinagoga antica* etc. Roma 1850, cap. I.

in quo nimirum Iudaei solemnī ritu ligna in Tēplum asportabant ad usum altaris holocaustorum. Quo die hoc fieret incertum est. Seldenus putat diē vigesima prima mensis *Ab*; alii vero existimant diē vigesima prima sequentis mensis *Elul*. Item alia sunt festa recentius instituta quae Iudaei nunc observant, et in suo calendario recensent.

XI. Hebraeorum festis addi possunt *ieiunia*. Ex his quidem unum tantum a Moyse praescriptum fuit in solemnī die expiationis. Verum post captivitatem babilonicam alia ieiunia praescripta fuerunt in memoriam excidii Ierosolymae ac Templi, alia quoque deinceps in singulis fere mensibus inducta fuerunt quae in calendario hebraico notantur. Praeterea solebant Hebraei sponte sua ieiunium saepe adhibere vel in peccatorum expiationem, vel ad beneficium aliquod a Deo impetrandum, vel devotionis causa: Phariseus ille in Evangelio gloriabatur quod ieiunaret bis in sabbato seu in singulis hebdomadis, quae fortasse Pharisaeorum consuetudo fuit.

XII. *Kalendarium Hebraeorum*. Haec omnia quae de festis ac ieiuniis Hebraeorum diximus per ordinem digesta inveniuntur in *kalendario Hebraeorum*, de quo mentio fit in Talmude, et in ipsa Scriptura Zach. VIII, 19, IX, 21 seq. non extat tamen nunc kalendarium nisi posteriori aetate confectum a Rabbis, praesertim illud quod vocant *Meghillah Thaarith*. Illud vero exscripserunt et adnotarunt plures ex christianis auctoribus imprimis Genebrardus in fronte sui *Comment. in Psalmos*, Bern. Lamy in *Apparatu Biblico*, Bartolucci in *Bibliotheca magna Rabbinica* tom. I, Calmet in fine sui *Dictionarii Biblici*; qui etiam (excepto Calmeto) praeter festa et ieiunia in singulis mensibus celebranda adnotare solent etiam sacras lectiones Legis et Prophetarum, seu *Pharascias* et *Haphtaras* singulis sabbatis legendas. Ad hos auctores lectorem remittimus. Multi etiam doctas observationes in Kalendarium Hebraeorum ediderunt ut Io. Seldenus in opusculo: *De anno civili veteris Ecclesiae seu reipublicae Iudaicae*, et Xaverius Mattei in *Kalendario Hebraeorum illustrato*, qui tamen recentiorum Iudaeorum Kalendaria plus aequo parvi pendere videtur.

### CAPUT III.

#### DE PERSONIS SACRIS

Quamvis omnes Hebraei populus electus, hereditas Domini, et gens Deo sacra dicerentur (Ex. XIX, 6, XXII, 3, Deut. VII, 6, XIV, etc.), eoque nomine inflati ceteras gentes despicerent aliquando, et odio haberent (Eph. II, 14, 13, Matth. IX, 10, 11, Luc. V, 8, Gal. II, 13-17), quaedam tamen determinatae personae inter illos speciali modo Deo consecratae erant, et sacris ministeriis deputatae, de quibus nunc dicendum. Ac primo quidem de ordinariis ministris dicemus, qui omnes ad tribum Levi pertinebant, ac dividebantur in Levitas, Sacerdotes, et summum Pontificem, deinde de aliis ministris superadditis, quemadmodum fuerunt olim servi sacri Nathinaei dicti, et ministri Synagogarum, tum vero de extraordinariis personis sacris seu prophetis; demum coronidis gratia quaedam adiciemus de religiosis sectis Hebraeorum.

### ARTICULUS I.

#### DE MINISTRIS ORDINARIIS EX TRIBU LEVI

Tota tribus Levi specialiter Deo sacra fuit: Deus enim sibi elegit filios Levi in locum primogenitorum totius Israel (Num. III, 12, 13, 40, VIII, 46) ut eius cultui operam darent, ac plebem in religione instruerent, ideoque iussit nullam eis specialem portionem terrae Chanaan assignari, sed quadraginta octo urbes cum agris et hortis in variis tribubus sparsas, simulque decimas fructuum et animalium eis solvi ad eorum sustentationem, praeter oblationes et victimas, quibus alebantur cum sua ministeria in Tabernaculo, vel Templo obirent. Qui ex familia Aaronis erant sacerdotali munere ornabantur, et ex his unus summum pontificatum obtinebat, ceteri vero aliarum familiarum Gersonitae, Caathitae, Meraritae inferioribus ministeriis addicti erant, et simpliciter *Levitae* dicebantur. Breviter de singulis.